

non habet ius strictum nisi ad dimidiam partem bonorum, quae, soluta communitate, extabunt (11); nec tenetur maritus reddere rationem suae administrationis. Unde quamvis peccet graviter contra pietatem erga uxorem et filios, non tamen peccat contra iustitiam proprie dictam, quae restitutionis obligationem inducit. Sed uxor praecavere potest bonorum dissipationem per facultatem, quae ipsi conceditur a lege, separationem bonorum iuridice postulandi. — Ita Lacroix, n. 1020., *de Furto*. — Carrière, n. 276.

Excederet autem limites iuris sui maritus, *ex Iure Gallico*, et ad restitutionem certo teneretur, si daret titulo gratuito aliqua immobilia, vel *totalitatem* aut *quotitatem* mobilium, aut si bona communitatis pro se surriperet (art. 1422.).

557. — **QUAER.** 3^o *An peccet uxor accipiendo aliquid de bonis communibus aut de fructibus dotis ad sublevandam necessitatem parentum vel filiorum, qui ex primo matrimonio suscepti fuerint?*

Resp. Neg., si *paraphernalia* non habeat, nec vir necessaria dare velit, quia iure naturae tenetur uxor praedictos consanguineos alere, et maritus in id consentire debet. — Ita S. Lig. n. 542., *cum aliis*.

(11) Obscurum sane videri potest, quid sibi velit haec opinio, quin et pugnantia involvere. Nam supponitur, uxorem vi *communitatis* ius habere in dimidiam partem extantium; deinde restringitur hoc ius ad medietatem extantium dum communitas solvitur; et interim plena fit marito disponendi de omnibus facultas adeo ut nec ad reddendam rationem, nec ad restitutionem teneatur. At enim quo demum desinit ius illud uxoris, quando maritus ita possit omnia dissipare, ut nihil dividendum supersit, dum solvitur communitas? Perperam alioquin sermo iniicitur de violato officio pietatis in *uxorem et filios*. Nam dispar in casu est conditio uxoris et filiorum. Vivente enim patre nullum filiis est strictum ius in bona paterna; at aliud hic supponitur de uxore quoad bona communia.

Verumtamen non adeo absurda videbitur haec opinio, si (quod A. non declaravit satis) ratio habeatur Codicis Gallici, quem sane prae oculis auctores huius sen-

tentiae habuerunt. Satis nimirum ibi per leges uxori prospicitur, ut earum rerum quas in communitatem confert, possit recuperare vel quidquid adhuc extet, vel aequivalens, indemnitatesque a iudice decretas exigere, et quidem ita, ut tum marito tum creditoribus erga ipsam communitatem praeferatur. Si qua vero restitutio in hac sententia negatur, hoc ad ea pertinet, quae ex bona redituum administratione superesse possent. Quocirca non minus hic indemnitati uxoris consulitur, quam in eo regiminis *dotalis* modo, qui plenum bonorum dotalium dominium in maritum transfert.

Caeterum abs re hic allegatur Croix (lib. 3. p. 1. n. 1020.); nam Auctores quos allegat tamquam absolventes maritum ab onere restitutionis, censent bona, de quibus est quaestio, esse propria solius mariti; qui vero censent bona esse communia, hos Croix allegat tamquam imponentes onus restitutionis. Pro prima igitur sententia, non pro secunda Croix potius militaret.

QUAER. 4^o *An uxor bona hoc modo accepta restituere teneatur, cum venerit in mariti hereditatem, vel cum dotem suam recuperaverit?*

Resp. 1^o *Neg.*, si bona haec sint parvi momenti, quia tunc habentur ut eleemosynae communes, quae, si fiant moderatae, restitutionis onus secum non ferunt. — *Ita omnes*.

Resp. 2^o Negant itidem plures, etiamsi bona subtracta sint maioris momenti, quia onera omnia, quae stante matrimonio uni coniugum obveniunt, alteri communia censentur (12). Sed sententia affirmativa videtur tenenda cum S. Lig. n. 543.; *Hom. apost.* n. 33. — V. *Casus*, n. 505.

PUNCTUM III. — *De dominio Clericorum.*

558. — Bona Clericorum quadruplicis generis distinguuntur, scilicet 1^o *Patrimonialia*, quae proveniunt ex paterna hereditate, aut ex qualibet

(12) Hanc opinionem sic refert Lugo (*De Iust. disp.* 16. n. 71.): *Putat tamen probabile (Lessius) cum Molina, quae ad alendos parentes ita (scil. extreme vel graviter) indigentes insumuntur (et idem debet concedere de alendis filiis) solvenda esse ex bonis communibus utriusque coniugis, si matrimonium fuit celebratum, contractu medietatis bonorum; si vero contractu arrharum et dotis, solvenda esse de bonis super lucratis, si quae sint, si autem nulla sint, debere ab uxore sumi in partem eorum, quae soluto matrimonio habere debuisset.*

Postrema tamen haec particula non videtur Lugoni arrisisse. Nam postquam (ibid. n. 72.) dixit, *quando uxor alia bona non habet libera, si tamen habet medietatem bonorum cum marito vel attulit bonam dotem, aut alia bona quae maritus administrat, vel extant lucra cum marito communia, posse parentibus vel filiis, et fortasse etiam fratribus indigentibus subvenire; et addidit, non videre se, cur eas expensas, si moderatae sint, debeat, dissoluto matrimonio, computare in suam partem; mox subdit: Imo id etiam videtur probabile, licet indotata nupserit, marito consentiente, nec habeat medie-*

tatem bonorum aut lucra communia. Ratio est, quia maritus posset etiam ex communibus bonis subvenire propriis parentibus, aut filiis prioris matrimonii indigentibus: cur ergo uxor non poterit idem facere, cum onera singulorum debeant esse communia? Quamvis enim nomine alimentorum, si praecise sumantur, non veniant ea, quae uxor parentibus daret; uxor tamen non videtur solum habere ius ad nuda alimenta; quia videtur esse particeps bonorum et rei familiaris aliquo modo; neque est sicut unus de familia, ut solum ali debeat, sed habet partem in gubernatione familiae: et licet sit sub viri potestate, est tamen socia et particeps dignitatis; quare sicut vir appellatur dominus talis civitatis vel oppidi, sic uxor appellatur domina eiusdem loci. Unde licet quoad administrationem uxor sit subordinata viro; aequum tamen est, ut ipse permittat suae coniugi cum debita moderatione usum bonorum ad necessitates graves suorum sublevandas: magis enim necessarius est uxori bonorum usus ad hoc, quam ad alia, ad quae vir non posset iuste suae uxori necessaria denegare.

alia causa profana, puta ex donatione, successione, etc. — *Quasi patrimonialia*, quae acquiruntur occasione et intuitu functionum, v. gr. Missam celebrando, concionando, etc. Vocantur etiam *quasi ecclesiastica*, vel *casualia*. — 3^o *Ecclesiastica*, quae ex beneficiis Ecclesiae, v. gr. ex redditibus beneficiorum, etc. percipiuntur. — 4^o *Parcimonialia*, quae Clericus seponit parce vivendo ex beneficii fructibus, et quae honeste vivendo consumere posset.

559. **Principia.** — I. Clericus dominium perfectum habet bonorum patrimonialium. Ratio, quia Clericus est per se domini vere capax, nec ulla lege prohibetur, quominus de praedictis bonis libere disponat. Imo ius illud sexcentis locis Iuris canonici et civilis supponitur.

II. Clericus perfectum habet dominium bonorum *quasi patrimonialium*, seu *quasi ecclesiasticorum*, vel *casualium*. Ratio est, quia bona haec non sunt fructus beneficii, neque pretium muneris sacri, sed quoddam veluti stipendium laboris extrinseci, ad quem non tenetur Clericus, aut etiam quaedam largitio a fidelibus ad Clerici sustentationem erogata. — *Ita communiter.* — S. Lig. n. 491. — Lugo, d. 4. n. 23., etc. — Constat etiam ex responsione S. Poenitentiariae data die 9. Aug. 1824., qua declaravit oblationes fidelium non esse bona ecclesiastica, ut infra referetur n. 563.

III. Clericus fructibus beneficii uti potest ad honestam sustentationem; sed omne superfluum in pauperes, vel in alia pia opera erogare tenetur. Ratio 1^a est, quia Ecclesiae ministrans de Ecclesiae bonis honeste vivere potest; siquidem ad hunc praesertim finem beneficia instituta sunt. Ratio 2^a eruitur ex Ecclesiae praecepto, quod ex innumeris Conciliorum et SS. Canonum decretis perspicuum est. *Hanc enim obligationem Ecclesiae Canones Clericis imponunt aut impositam seponunt*, ait Bened. XIV, *de Syn.* l. 7. c. 2. n. 4.

IV. Clericus perfecto gaudet dominio bonorum *parcimonialium*, adeoque de iis ut verus dominus disponere potest. Ratio est, quia Clericus ius strictum habet ad honestam sustentationem; ergo quidquid ex ea tollit parcus vivendo, ad ipsum pertinet, et in libera eiusdem potestate manet; quippe ius illud omnino absolutum est. — S. Lig. n. 491. — Lessius, c. 4., et alii communiter.

560. **Quaesita.** — QUAER. 1^o *An teneantur ad restitutionem Clerici male impendentes superflua bonorum ecclesiasticorum?*

Resp. Neg. probabiliter, quia quamvis constet de praecepto Ecclesiae, non tamen constat de obligatione ex iustitia. Imo ex *Conc. Trid.* colligi videtur, eos *facere fructus suos*, licet cum obligatione in eleemosynas aut alia pia opera superfluum erogandi. Dicit enim *Concil.* de Clericis non residentibus: *Non faciant fructus suos.* — Lugo. — Billuart. — Lessius. — S. Thomas, etc.

Affirmant tamen probabiliter alii, quia Clerici sunt tantum administratores et oeconomi bonorum ecclesiasticorum. Collet. — Laymann. — Antoine. — Prima sententia, idest negativa, ait S. Lig. in *Retract.* qu. X., non minus probabilis videtur in praxi, signanter ob auctoritatem et rationem D. Thomae, 2. 2. qu. 185. art. 7. (13). Quod vero attinet ad culpam violati Ecclesiae praecepti, ad materiam gravem requiritur quantitas multo maior, quam in furto, scilicet iuxta veriore sententiam, pars vigesima circiter superfluum (14). — S. Lig. n. 491. IV.

561. — QUAER. 2^o *Quid intelligatur per se superfluum?*

Resp. Superfluum censetur, quod honestae sustentationi superest. Porro honesta Clerici sustentatio ea est, quae Clerico convenit ratione sui status, dignitatis, etc. Quocirca non excludit honestas recreationes, moderatas donationes et alias eiusmodi expensas; sed haec prudenti timoratae conscientiae iudicio, potiusquam generali regula determinari possunt. — Billuart, art. 5.

QUAER. 3^o *An Clerici possint servare superfluum in futurum?*

Resp. Affirm., quia *per se* nulla est obligatio subito erogandi superflua; imo laudabiliter servari possunt ad foundationem piam, modo bona fide procedatur, et absit periculum, ne postea ad usus profanos convertantur. — S. Thom. 2. 2. qu. 185. art. 7. — S. Lig. n. 491.

(13) Quaerit S. Thomas (*Quodl.* 6. art. 12.), *Utrum clerici peccent mortaliter, si ea, quae eis superfluent, in eleemosynas non largiantur.* Et (ibid. ad 3.) respondet: *In secundis (in iis nempe bonis, quae principaliter attributa sunt usibus ministrorum, sicut sunt praebendae clericorum et alia huiusmodi) non committunt peccatum nisi per abusum, sicut de bonis patrimonialibus dictum est. Unde non tenetur quis ad restitutionem, sed solum ad poenitentiam agendam.*

Et hinc facile patet, quo loco habendi sint, qui pro contraria sententia iactant SS. *Scripturas*, SS. *Canones*, *primitivam Ecclesiam*, *quindecim saeculorum praescriptione*, SS. *Patrum ac Pontificum auctoritate munitam, traditionibus confirmatam etc.*, ut videre est in compendio Salmanticensium (Tr. XI. cap. 9. n. 120.). Ubinam enim, quaeso, S. Thomam invenient contradicentem *Scripturis*, *Patribus*, *Decretis Pontificum*, *Sanctis Canonibus etc.*?

Allegant et S. Caroli Borrom. auctoritatem in Synod. Mediolan. At Benedictus XIV. (*De Synod.* lib. 7. cap. 2. n. 12.): *Verum nos (inquit), qui nullius partis studio abrepti sumus, nihil eiusmodi a S. Carolo decisum comperimus.* Tum (ibid. n. 14.) non probandam eorum methodum dicit, qui hanc obligationem ita ex *iustitiae officio* oriri inculcant, ut quaestionem haberi ceu definitam velint; suadet autem, ut obligatio utique inculcetur, sed unde haec oriatur, quaerere in Synodis intermittant.

(14) Haec norma locum habere tunc solum poterit, quando superflua ita superabundent, ut vicesima eorum pars multum excedat communem gravitatem materiae in furto: quae quidem materiae gravitas praeterea hic non *relativa*, sed *absoluta* intelligenda videtur. Dixi, *multum excedat*; nam S. Alphonsus (lib. 3. n. 491. IV.) cum S. Thoma ad id requirit *multum* prae communi gravitate *excessum*.

562. — **QUAER.** 4^o *An Clericus habens ex patrimonio unde vivat, ex fructibus beneficii se sustentare possit?*

Resp. Affirm. cum S. Lig. n. 491. — S. Thom. 2. 2. qu. 185. art. 7. — Billuart, diss. 3. art. 5., et alii communiter contra paucos. Ratio est, quia iustum est, ut ille, qui laborat in Ecclesia, ab eadem sustentetur, et per accidens omnino est, quod dives sit aut pauper. Non igitur ratione paupertatis, sed laboris Clericus ad sustentationem ius habet. Unde Clericus potest patrimonio parcere, dum fructibus beneficii utitur ad sustentationem suae dignitati convenientem. Constat etiam ex verbis Apostoli, I. Cor. 9.: *Quis militat suis stipendiis unquam?... Nescitis, quoniam qui in Sacratio operantur, quae de Sacratio sunt, edunt; et qui Altari deserviunt, cum Altari participant?*

QUAER. 5^o *An etiam pensionarii superfluum in pauperes erogare debeant?*

Resp. Neg., quia S. Pontifex, iusta de causa pensiones de fructibus beneficii extrahendo, iam eosdem fructus ad usus pios applicat; unde fructus isti obligationem alterius applicationis secum non ferunt. — Lugo, d. 4. n. 32. — S. Lig. n. 491.

563. — **QUAER.** 6^o *An pensio, quae in Gallia Sacerdotibus a Gubernio solvitur, boni ecclesiastici rationem habeat? (15).*

Resp. Affirm., quia ex Concordato an. 1801. pensio praedicta videtur statuta in compensationem honorum ecclesiasticorum, quae tempore perturbationis Gallicae subrepta sunt. Ergo eandem habet naturam ac bona, quibus substituitur. Constat etiam ex hisce S. Poenitentiariae responsis.

« 1^o An salaria, quae in Belgio solvuntur a Gubernio Pastoribus et Canonici, induant beneficiorum seu honorum ecclesiasticorum indolem, et annexam habeant obligationem inhaerentem his bonis, scilicet strictam et canonicam obligationem expendendi superflua pauperibus, seu piis causis, et residentiae sub poena *non faciendi fructus suos?*

« Sacra Poenitentiaría, perpensis expositis, respondit: *Iam alias a Sancta Sede, de consilio secretae Congregationis, responsum fuisse affirmative.*

« *Datum Romae, die 19. Ianuarii 1819.*

« 2^o Sacra Poenitentiaría consulta, an illa responsio applicari debeat

(15) Optimum factu est, quod in hac et sequenti quaestione theoriae huiusmodi exponantur; attamen tantum pro regionibus mere theoreticis, ad sterilem nempe eruditionem, istae deserviunt. Nam in praxi cum tenue adeo ac prorsus miserum illud sit, quod gubernia ista athea (nam vere

atheum est gubernium, quod eodem locum religionem tum quasvis superstitiones habet) praesertim catholicae Religionis sacerdotibus tribuunt, quaestio circa redditus congruae sustentationi superfluos otiosa omnino est.

« salariis, quae Pastoribus et Canonicis regni Galliarum a Gubernio solvuntur, respondendum censuit: *Affirmative.*

« *Datum Romae, in Sacra Poenitentiaría, die 19. Augusti 1821.*

« An responsio pro Belgio diei 19. Ianuarii applicari debeat solis salariis fixis 1,000. libr. pro Parochis, et 750. libr. pro Deservientibus, vel extendi debeat ad oblationes fidelium?

« Sacra Poenitentiaría super noviter expositis respondendum censuit: *Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.* »

564. — **QUAER.** 7^o *An sint reputanda bona ecclesiastica etiam supplementa, quae in Gallia Sacerdotibus a parochiis seu municipiis erogantur?*

Resp. Videtur affirmandum cum Carrière, n. 193. et aliis communis. Ratio est, quia et ista censi debent ceu provenientia ex administratione generali Gubernii, et proinde ex vi Concordati inter Papam et Gubernium. Etenim non tribuuntur nisi ex decreto generali Gubernii (art. arg. 67.), et ex ipsius consensu; proinde ab ipso Gubernio constituta censentur et sunt veluti pars dotationis, quam promisit. — Idem a fortiori dicendum de pensionibus, quae Canonicis a Gubernio tribuuntur.

Secus tamen omnino dicendum est de supplementis, seu de pensione, quae tribuitur alicui Clerico ex oblationibus liberis et privatis fidelium. Tunc enim ab auctoritate publica non proveniunt, nec proinde in locum honorum ecclesiasticorum constituuntur. — Nec computandae sunt inter bona ecclesiastica pensiones, quae tribuuntur a Gubernio caducis Presbyteris, aut Religiosis e monasterio olim eiectionis; sunt enim auxilia vel compensatio quaedam, bonis patrimonialibus omnino aequiparanda.

565. **RESOLVES.** — 1^o Distributiones, quae fieri solent pro assistentia in choro, annumerandae sunt inter bona *quasi patrimonialia*; quia licet distributiones illae dentur beneficii occasione, attamen non dantur immediate pro titulo, sed pro servitio personali, et tamquam stipendium personae. — *Ita probabilius.* — Lugo, d. 4. n. 25. — S. Lig. n. 491. — Salmant., etc.

2^o Idem dicendum est de iuribus curialibus, seu de redditibus stolae, ut aiunt, id est quae debentur Parocho ut Parocho, v. gr. quae afferuntur cum pane benedicto, vel quae ipsi tribuuntur pro funeralibus, licet iis nullatenus astiterit, etc... Ratio est, quia dantur Parocho ut quoddam stipendium sui laboris et suae sollicitudinis, nec videntur fideles haec conferre Ecclesiae, sed Parocho, ut sua sint sine ullo onere. — S. Lig. n. 490. et 491.

3^o Oblationes, quae fiunt in capsulis ad certum usum expositis, sunt certo ad usum illum adhibendae, nec proinde potest Parochus eas sibi vindicare, quia satis constat de voluntate offerentium. Idem etiam di-

cendum est de collectis, quae sive intra sive extra Ecclesiam ad certum finem fiunt.

Ex praxi satis communi saltem hodierna solae fere oblationes, quae in Missa ad altare fiunt, et quae occasione administrationis Sacramentorum, pro benedicendis nuptiis, pro exsequiis et sepulturis aut aliis similibus functionibus specialiter afferuntur, ad Parochum spectant. Caeterae autem oblationes ipsis Ecclesiis, altaribus, aut aliis certis finibus, ex consuetudine aut fidelium intentione applicari debent. — V. *Casus*, n. 507.

PUNCTUM IV. — *De dominio auctorum.*

566. — Certum est, hominem quemlibet ex iure naturali ius habere in fructum suae industriae et sui ingenii. Si enim res fructificat domino, a fortiori hoc verum esse debet de facultatibus internis, cum nihil magis homini proprium esse possit. Quilibet igitur in suum commodum uti potest iis, quae suo ingenio in scientiis excogitavit. Inventor igitur artis alicuius strictum ius habet, ne secretum suum surripiatur, et se invito in publicum divulgetur; quod si fiat, damnificator pro ratione iniuriae illatae ad restitutionem omnino tenetur. Difficultas autem est, utrum auctor, operibus semel in lucem omissis, ea sibi propria servare, et alios ab eorum usu (16) excludere queat. Hinc

567. *Quaesita.* — *QUAER.* 1^o *An violet ius alienum, qui opus manuscriptum sine consensu auctoris typis edat?*

Resp. Affirm. Hoc enim iuri naturali aperte repugnat; et apud omnes constat, opus quamdiu in lucem emissum non fuit, sub dominio prorsus auctoris remanere. Nullum igitur dubium est, quin talis usurpator ad restitutionem et ad damnorum compensationem teneatur. — *Carrière*, n. 61.

QUAER. 2^o *Quid dicendum de eo, qui typis ederet lectiones publicas alicuius professoris, vel concionem oratoris?*

Resp. Respondendum est, ut in quaestione praecedenti. Etenim publice docere aut concionari non est tradere opus suum alteri ad edendum et vendendum. Sic iudicavit Tribunal *appellationis* Parisiensis, 28. Februar. 1801. — Vid. *Carrière*, n. 61.

568. — *QUAER.* 3^o *An ille, qui librum typis edidit, ius habeat impediendi, ne quisquam illum praelo committat et vendat cum damno auctoris aut bibliopolae, cui auctor ius suum transmisit?*

Resp. 1^o *Affirm.*, de iure positivo vigente in Gallia et in plerisque aliis locis.

(16) Intellige ab usu, quem sibi Auctor operis reservat: qui quidem cuiusmodi sit, ex seqq. quaestionibus colligitur.

Resp. 2^o Si agatur de iure naturali, *controvertitur*. *Probabilius* videtur, auctorem non habere ius perpetuum in opus suum, quia res in communitatem semel tradita, fit eo ipso de iure communi (17). Consentaneum tamen aequitati est, ut iure positivo aliquod privilegium auctori ad certum tempus, vel ad ipsius vitam concedatur.

QUAER. 4^o *An typis mandari possit in regno vicino liber recenter vulgatus sine licentia auctoris?*

Resp. Videtur affirmandum *probabilius*; quia auctor de iure naturali nullum ius certum repetere potest (18), et proinde de violato *stricto dominio* conqueri nequit. Idem dicendum de inventoribus variarum artium. — Ita *Carrière*, *ibid.*, etc. Caeterum multis in locis optime provisum est per tractatus inter varias ditiones admissis, quorum vi auctor eodem iure alibi ac in propria patria gaudere potest.

§. III. *De acquisitione dominii.*

Dominium praecipue acquiri potest 1^o occupatione; 2^o inventione (1); 3^o praescriptione; 4^o accessione; 5^o contractibus, de quibus in Tractatu particulari dicitur.

PUNCTUM I. — *De occupatione.*

569. — Occupatio est realis apprehensio rei, quae nullius sit, cum animo eam sibi acquirendi. Est legitimus modus dominium acquirendi, modo adsint conditiones requisitae, scilicet 1^o ut res sit dominii privati capax, nec ullius sit; — 2^o ut occupans velit rem suam facere, cum eam de facto apprehendit; — 3^o ut nulla lex occupationi obstet (2).

(17) Haec ratio forte evinceret, fas esse cuique segetes aut uvae sibi sumere ad libitum, quod agri aut vineae dominus eas custodire non valet. Sane si lex ipsa naturae postulat, ut cuique ius suum in fructum industriae atque ingenii sui servetur, uti praemissum est (n. 566.), fructus autem industriae in re nostra percipi nullus possit, nisi in *communitatem* opus (ut dicunt) *tradatur*; profecto eadem lex naturae postulat, ut ista traditio seu evulgatio operis in communitatem auctorem fructu industriae suae non privet.

(18) Haec generalis assertio itidem repugnat principio, quod tamquam certum n. 566. statutum est. Idcirco maxime congrua iuri naturae est diversarum rerumpu-

blicarum conventio, ut privilegia alicubi concessa auctoribus, alibi quoque serventur. Quae conventio si alicubi non admittatur, deerit ibi sane violati officii sanctio, non vero prorsus officium. Verumtamen cum librorum editio in regionibus valde dissitis minus impediatur, quominus fructum industriae suae congruum auctor percipiat, principium illud praestitutum minus quoad eas urgere videtur.

(1) Alii communius *inventionem* revocant ad modum *occupationis*; et ideo non quinque, sed quatuor modos acquirendi dominii enumerant.

(2) Tertiam hanc conditionem, quam pauci quidam addunt, melius *Reiffenstuel* (*Theol. Moral. Tr. 7. dist. 5. q. 1. n. 5.*)

Casus frequentiores in praxi occupationem animalium respiciunt; de ea igitur sola sermo erit.

Triplicis autem generis animalia distinguuntur, scilicet silvestria, mansueta et mansuefacta. 1^o Silvestria seu fera ea sunt, quae naturali fruuntur libertate, et nullius subsunt dominio, uti lepores, cervi, pisces, aves, etc. 2^o Mansueta seu domestica sunt, quae naturali non gaudent libertate, quaeque hominum subsunt dominio, uti oves, equi, gallinae(3), etc. 3^o Mansuefacta sunt, quae ad naturalem quidem libertatem nascuntur, hominis tamen industria hac privantur, eiusque dominio subiiciuntur, uti aves, quae arte et industria mansuescunt, columbae, apes, etc. (4) (*).

§70. **Principia.** — I. Animalia *silvestria* seu *fera* (5) fiunt *primi occupantis*. Res enim, quae nullius sunt, iure naturali licite occupantur, et proinde fiunt primi occupantis, saltem nisi aliqua lex positiva id prohibeat. In dominium autem alicuius redacta, tamdiu sub dominio manent, quamdiu custodia retineantur, nec naturalem libertatem recuperaverint. Recuperasse autem libertatem censentur, cum ita custodiam effugerunt, ut earum consecutio difficilis sit: et tunc ita desinunt esse sub dominio, ut alterius occupantis fieri possint, veluti nunquam dominum habuissent.

II. Animalia ex natura sua *silvestria*, sed *mansuefacta*, prioris domini remanent, quamdiu custodiam ipsius non evaserint, aut consuetudinem revertendi non amiserint; eiusmodi enim animalia ad possessorem pertinent tum ratione occupationis, tum etiam ratione educationis et detentionis. Sic insuper omnia iura statuunt. — At vero si custodiam domini

sic effert: *Nisi lege aliqua humana earum dominium cuiquam alteri applicetur.* Cuius rei exemplum habes (*penes. A. n. 576. III.*) in bonis, quae *vacantia* dicuntur. Eorum enim occupatio iure positivo solet publico fisco reservari. Dixi, *sic melius* eam conditionem exprimi; nam etiam iuxta illud quod A. mox (n. 571.) dicit, mera legis prohibitio non impedit, quominus per occupationem dominium acquiri possit.

(3) Diversitas inter *fera* et *mansueta* aptius petitur ex indole, quae humano consortio gaudeat vel abhorreat. Nam alioqui et fera reperiuntur, quae non gaudent libertate, et mansueta, quae dominum non habent.

(4) Quartam classem constituunt *efferrata*, quae aut connaturalem mansuetam

indolem exuerunt, aut pristinam feram, postquam fuerant mansuefacta, resumpserunt.

(*) Ius italicum C. C. statuit, acquiri occupatione eas res, quae; cum in nullius proprietate sint, possunt tamen ad alicuius proprietatem pertinere. Huiusmodi esse ait animalia, quae obiectum sunt venationis aut piscationis, thesaurum resque mobiles derelictas, a. 711. Porro exercitium venationis et piscationis legibus particularibus regitur: nemini autem licet ingredi alterius fundum ad venandum, contra possessoris prohibitionem a. 712.

(5) Intellige, quae naturali, uti A. dicebat, fruuntur libertate. Hac autem frui censentur, cum vagari pro lubito possunt, ut cervi in sylvis, pisces in mari, etc.

evaserint, aut revertendi consuetudinem amiserint, alterius primi occupantis fiunt, quia suam primam naturam recuperarunt. Sic *Ius Romanum* et *Gallicum*.

III. Animalia *mansueta* seu *domestica* remanent prioris domini, quantumvis aberrent; unde non possunt ab alio occupari. Ratio est, quia animalia domestica nunquam possunt dici recuperasse suam libertatem, cum ex natura sua libertatem nullam habere existimentur. Quoad illa igitur occupationi locus nunquam dari potest.

§71. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An et quomodo peccet, qui venatur aut piscatur contra legis prohibitionem?*

Resp. 1^a **SENTENTIA** *probabilis* negat, eum peccare contra iustitiam (6) vel etiam contra obedientiam; quia ex consuetudine et communi hominum aestimatione lex illa omnino poenalis videtur (7). — Sic Roncaglia, Tract. 13. c. 5. — S. Lig. *de Leg.* n. 145., etc.

2^a **SENTENTIA** item *probabilis* tenet, illum peccare tantum venialiter contra obedientiam, minime autem contra iustitiam. Etenim 1^o *peccat contra obedientiam*, quia semper obtemperandum est Principi iusta de causa praecipienti. 2^o *Non peccat contra iustitiam*, quia leges, licet venationem prohibeant, non tamen irritam declarant praedae acquisitionem. 3^o *Peccat venialiter tantum per se*, quia generatim talis violatio legis non videtur graviter noxia sive Reipublicae, quae magnum detrimentum iude non patitur, sive privatis, in quorum fundo fit venatio. — Lugo, disp. 6. n. 64. — Bouvier, *de Iust.* c. 2. — Carrière, n. 301. — Lyonnet, etc.

Datur etiam tertia sententia paucorum, qui dicunt, venantem, prohibente lege, peccare graviter tum contra obedientiam, tum contra iustitiam (8), sed ut minus probabilis communiter habetur.

§72. — **QUAER.** 2^o *An peccet contra iustitiam commutativam, qui venatur aut piscatur in fundo alterius, absque eius licentia?*

Resp. 1^o *Neg.*, si fundus ille sit pervius; nullum enim peccatum com-

(6) Non peccat is contra iustitiam, et (ut inquit Lugo *De Iust.* disp. 6. n. 65.) *communis sententia Doctorum est, venantem acquirere dominium ferarum vel piscium, quos capit.* Ratio est, quia *ferae illae adhuc nullius sunt in bonis, suaeque in libertate manent*: adeoque primi occupantis fiunt.

(7) Hic non est sermo, ut patet, de legibus canonicis, quae clericis quasdam venationes interdiciunt.

(8) Iustitiam laedi isti auctores autu-

marunt non propter captam praedam, sed propter iniuriam irrogatam illi, qui adeo ius habet arcendi quemlibet ab ingressu loci, ut etiam per vim eos possit impedire. Nec isti supponunt meram legem prohibentem, sed praeterea ius venandi aut piscandi exclusive cuiquam factum. Insuper ista iustitiae laesio iuxta eosdem nullam restituendi obligationem adducit, nisi alia ratione damnum aliquod illatum sit.